



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 79. Universitatis consultationes circa diversa argumenta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sæcul. XVI,
A.C. 1562.

sum narrabat, id non alia ex caussa oriri, nisi quod Ecclesia occidentalis non nisi unicam fidem teneat, nullamque novam opinionem toleret, econtra autem in Oriente omnibus cujuscunque generis Novitatibus janua aperiatur. Insuper allegabat Martiani & Joviniani Imperatorum exempla, sermonemque ingerebat de Melodunensi conventu: denique omnes ad constantem hujus fidei professionem hortabatur.

§. LXXIX.

Universitatis consultationes circa diversa argumenta.

Cum publica civilis jurisprudentiæ Schola nondum fuisset erecta in Universitate Parisiensi, hinc Doctores Juris Canonici postulabant a Sacra Facultate, ut hæc quoque disciplina ibi traderetur. Ast obstitit Sacra Facultas, ne admitteretur eorum supplicatio, nisi consulta prius universitate, ad quam Pillaguertus die decima quinta Septembris supplex nomine Civitatis Parisiensis accessit: sed ea res rursus ad Facultatem remittebatur.

In alio Facultatis conventu die vigesima sexta Septembris conclusum fuit, quod Valentini Præsulis libri ad catalogum eorum librorum, qui perveriam continent doctrinam, rejicerentur,

Sæcul. XVI
A C. 1562.

tur, ac proin perlegi prohiberentur. Idem quoque in alio conventu die septima Novembris habito fuit confirmatum, ubi etiam Buthellieri Catechismus prohibitorum librorum indici fuit inscriptus.

Eodem anno duo Vicarii Generales Parisiensis Episcopi Magistratibus Parisini Senatus in hæreticos inquirendi facultatem concedebant.

§. LXXX.

*Facultatis supplicatio ad Senatum
pro impedienda confirmatione
edicti in Mense Januario
conditi.*

Argentre
pag. 335.

Quoniam Franciæ Rex, ut supra meminimus, Mense Januario edictum promulgaverat, vi cuius prima vice Calvinistis permittebatur, ut extra urbes, Regniq[ue] suburbia suas declamationes habere possent, & tum nequidem hujus Regni Metropolis exciperetur, hinc Facultas pro Religionis Regniq[ue] utilitate conventu habito decernebat, Regem perdemissè rogandum esse, ut hujus edicti promulgationem prohiberet: eapropter illa libellum supplicem Regio Senatui porrexit, ut Patres eo induceret, quatenus hanc legem ad tabulas referre recusarent. Hujus libelli tenor erat sequens: „nos Rectores,